



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

213 Quidsi Prioratus abedientialis per monachum extraneum ab ipso Pont.
impetretur ad vitam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

quos ad incertissimum tantum tempus habent sibi commissos non autem ad totam suam vitam. Cuiusmodi beneficia frequenter a nostris nuncupantur manualia, fortassis ob id quod semper in manu seu potestate sint & libera reuocatione concedentis. Quidsi quis igitur Prioratum talem a summo Pontifice ad vitam usque suam impetrauerit, maxime extraneus. i. non eiusdem sed alterius monasterij monachus at tamen in monasterium illud unde Prioratum diximus dependere translatus? cuius rei varia semper extiterunt exempla. c. cum singula. §. vlt. §. de praebend. latissime DD. ad c. vlt. §. de off. ord. & omnium commodissime Panormitanus in c. ad nostram audientiam. nu. 7. & 8. de confirm. vtil. vel inutil. vbi quaestionem tractat satis quotidianam, ut ipse ait, an Abbas talem Pontificium impetratorem possit reuocare domum. Sed ad nostram quaestionem quod attinet, certissimum est, Prioratum sic impetratum permutari sine consensu summi Pontificis nullo modo posse; cum liberalitas haec Pontificis mere sit personalis contra propriam ac genuinam Prioratum istorum naturam: sed Pontifice permutationem probante & admittente, quidni liberalitas ulterius progrediatur? qua de re Senensis d. tract. de permut. quaest. 17. Qui tamen in eo mihi non probatur quod & mere manualia, quantumlibet in totam vitam a Pontifice nondum concessa, recte permutari putet. quaest. 16. nam quomodo suum poterit vocare Prioratum qui proprius non

213
Quidsi Prioratus obedientialis per monachum extraneum ab ipso Pont. impetretur ad vitam?

non est sed ad incertissimum tempus tantum concessus quasi precario? Nec enim sufficit, ex indulgentia Pontificis posse quid esse vel fieri perpetuum, sed requiritur ut re ipsa per Pontificis gratiam sit iam factum concessumque perpetuum (id est ad vitam usque durans) quidquid proprii seu beneficii seu officii nomine censetur, ut vel ex hoc unico cap. nostri verbulo sua liquidò constat. Nec est vlllo modo simile quod Senensis adfert ex l. sufficit § 6. de condict. in deb. vbi dum incertum est an temporaria sit futura exceptio an verò perpetua, solum repeti potest; ut exempli causa, si debitor pactus fuerit ne à se peteretur donec Titius fieret Consul, atque nihilominus per errorem soluerit non expectato Titij Consulatu; reperet: quia fieri potest ut nunquam Titius fiat Consul sed antea moriatur. itaque fieri posse & iam factum esse habetur eo loco pro iisdem in fauorem condicentis in debitum. quod secus & in obligationibus & in exceptionibus in diem; quia solutum ante diem repeti non potest eo quòd certissimum sit hunc diem quandoque venturum. d. l. sufficit. & l. sub condicione. cum l. nam si cum moriar. de condict. in debiti. Sic fieri quoque potest ut Prioratus huiusmodi nunquam auferatur neque prior ille domum reuocetur, siue per vltroneam Abbatis voluntatē siue per Pontificis confirmationem indubitata; igitur habendus est Prioratus omnis obediens, ex ista superiore Senensis opinione, pro perpetuo poteritque consequenter

214
Fieri quid
posse, & factum esse, paria minime sunt.

215
In condicione in debiti, incertitudo exceptionis, an sit temporaria an perpetua facit ut habeatur pro perpetua.

216
Nō idem esse in prioratibus, & quare.

h iij quenter